



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 4. Elisabethæ Reginæ mandata contra Catholicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„vos a vestra sollicitudine, ac dubio exi- Sæcul. XVI.
 „mere volo, nam libere confiteor, quod A. C. 1570.
 „ipsum ego has literas affixerim.„ Per-
 cepta hac confessione mox ad mortem
 condemnatur, & die octava Augusti ad
 supplicii locum deducebatur, atque suam
 culpam detestari, & Reginæ veniam
 exorare admonitus agebat, quod illam
 nullo pacto offendisset: quapropter dex-
 tera ejus amputata in loco consueto
 de scala laqueo dejectus ventre aperto,
 erutisque visceribus, ac corde effosso
 demum capite truncatus est, atque ejus
 corpus in quatuor partes discerptum
 omnium spectaculo in variis locis ex-
 ponebatur.

§. IV.

*Elisabethæ Reginæ mandata contra
 Catholicos.*

Tam inhumana hujus supplicii crude-
 litas magis adhuc, quam antea po-
 puli indignationem accendebat; passim
 enim omnes Reginam damnabant, eo-
 quod plures mortis pœna duntaxat eo
 ex capite affici jussisset, quod anathe-
 ma juste a Pontifice pronuntiatum di-
 cerent: quinimo hæc Reginæ sævitia
 ipsis etiam Protestantibus displicuit,
 nam inter illos reperiebantur non pauci,
 qui, si non ipsi Reginæ, saltem ejus
 Ministris graviter indignabantur, atque

*Leti vita
 Elisabeth.
 t. I. p. 463.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

hi populum ad seditionem concitabant. Equidem Elifabetha hanc Pontificis sententiam antea explodebat, cum autem multos Proceres ob Bullæ reverentiam ab obedientia ei debita secedere, atque in remotioribus Provinciis inter Catholicos sensim populares motus excitaret, remedium opponere suarum partium esse rata ad tubæ sonitum hæc mandata promulgari jussit. I. Nullus indicta mortis pœna Reginam, vel verbis, vel scriptis hæreticam, schismaticam, infidelem, usurpatricem &c. nominare audeat. II. Nemo constituto capitis supplicio præsumat quemcumque alium Anglici sceptri hæredem nominare, aut spargere, quod ad hunc vel illum post Reginæ obitum regni successio pertineat, nisi hi sint proprii Reginæ Filii. III. Nullus sub carceris pœna ad arbitrium proroganda, necnon sub proscriptione bonorum in Angliæ Regnum ceras, ut vocant, Papales, rosaria, imagines, & Cruces in Ecclesiâ Romana usitatas invehere, tenere, aut distribuere audeat. IV. Nemo quoque ob hæresin absolvi petat, vel absolutionem concedat, nisi perduellionis reus haberi velit. V. Nec ullus indicta eadem pœna Bullas, literas Apostolicas, vel alia diplomata, aut Pontificis, aut ejus Ministrorum nomine ad Regnum

deser.

deferre audeat, vel directe, aut indire-
cte per alios deferri faciat, nec cum Curia
Romana, ac Papæ Ministris, & Curia-
libus vel aliis ejus obsequio addictis ul-
lum commercium circa res, quæ Re-
gno, vel Reginae commodis perniciosæ
esse possent, habere attentet. VI. De-
nique nullus sub pœna proscriptionis
omnium bonorum in exteris Regionibus,
præcipue in Pontificis ditionibus
absque speciali Regiæ Majestatis suæ
licentia domicilium figere præsumat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

§. V.

*Franciæ Rex Mariam libertati resti-
tui ab Elisabetha postulans.*

Elisabetha Regina haud benignius
Franciæ Regem, quam summum
Pontificem habebat; illa enim frustra
Mariam Reginam in libertatem asseri
ab hoc Rege sollicitabatur, nam eidem
arrogantius hæc in responsis dabat:
„Haud mirum videatur, si detectis clan-
destinis consiliis, quæ ad conjuratio-
nem proxime spectare comperio, re-
bus meis cum majori sollicitudine
prospiciam, atque e carcere suo libe-
ram dimittere recusem illam Principem,
quæ alterius regnum per media mini-
me legitima inhiat, atque a conjura-
tis maximi habetur, nam summæ im-
prudentiæ notam incurrerem, si pro-

Thuan. l. c.
Cambden
annal. Regn.
Elisab.

